

1342-1342- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Carcassonam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Carcassonam celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XLII° ·

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum valde periculosum existat, ut ecclesiastica sacramenta ministrentur ab illis, qui execuzione suorum ordinum sunt quomodolibet privati, mandamus et imponimus universis prioribus ac eorumdem vicariis, ut ipsi diligenter advertant, ne fratres, qui apostataverunt vel de lapsu carnis convicti aut carceri sentencialiter et legitime fuerunt mancipati, confessiones fratrum nostri ordinis seu quorumcumque aliorum audire permittant, donec ad confessionum audienciam per generale vel provinciale capitulo fuerint restituti; et si quos ante restitucionem huiusmodi repererint confessiones quorumcumque secularium vel regularium, fratrum nostri ordinis vel aliorum, audivisse, sine misericordia puniant reos efficaciter tantis et talibus penis, quod ipsi et alii de cetero similia attemptare non presumant.

Item. Cum ex recepcione personarum dispositionem ad perversos mores habencium iacturam gravem incurriere posset ordo noster, volumus et ordinamus, quod nullus, qui defectum paciatur in natalibus, recipiatur ad ordinem absque prioris provincialis licencia speciali.

Item. Cum ex discursu corporis sequi possit evagatio mentis ac per hoc tranquillitati cordis et studio litterarum plurimum derogetur, imponimus prioribus et supprioribus ac vicariis universis, ut per omnem viam, per quam poterunt, coherceant fratres a discursibus inutilibus nec licentient ad discurrendum extra conventus et loca ordinis nisi ex causa racionabili et honesta.

Item. Cum ex sufficiencia et honestate studencium, illorum precipue qui ad studia generalia mittuntur, resplendeat ordo noster, districione, qua possumus, inhibemus prioribus provincialibus, ne fratrem aliquem mittant extra suam provinciam pro studente, nisi sit bene morigeratus, maturus, securus et quietus et in literatura sufficiens et ydoneus. Et rogamus reverendum patrem magistrum ordinis, quod assignaciones huiusmodi studencium non concedat, nisi constet sibi testimonio priorum provincialium illorum, qui mittendi fuerint, de ipsorum sufficiencia in predictis.

Item. Cum doctrina venerabilis doctoris sancti Thome de Aquino per totum orbem resplendeat, et tanquam sana et solida inter doctrinas omnium post principales ecclesie catholice doctores cum testimonio magistrorum Parisiensium fuerit solemniter commendata, imponimus lectoribus et studentibus universis, ut spretis et postpositis doctrinis vanis, curiosis et frivolis, quarum plures a veritate abducunt, in dicta doctrina sancti Thome studeant eamque substineant et explanent et se suos auditores in illa instruant et informent.

Item. Cum pauperes mendicantes pompas et vanitates mundi, quas fore contempnendas aliis predican, in seipsis deceat evitare, volumus et ordinamus, quod magistri, bacalarii, lectores sentenciarum, cursores ac philosophiam legentes in principiis suis festum quodcumque non faciant in publico vel ad partem. Quam ordinacionem eciam extendimus ad studentes, quando eos respondere contigerit in scolis vel ad clerum in publico predicare.

Item. Cum ex facilitate venie prestetur incentivum delinquendi, volumus et ordinamus, quod apostate ordinis, qui antequam apostataverint, crimen aliquod commiserunt, pro quo meruerant carceri mancipari, sine pena carceris non recipiantur ad ordinem quomodocumque.

Item. Ordinacionem factam in precedenti capitulo generali Avinione celebrato de fratribus inutiliter vagantibus et disurrentibus in provinciis Terre sancte et Grecie ac terris peregrinancium propter Christum et sociis episcoporum in dictis regionibus, cum omnibus suis circumstaciis renovamus et volumus observari¹.

Iste sunt declaraciones.

Cum in nostris constitucionibus sit expressum, quod in electione prioris et eius socii ad capitulo generale vel provinciale scrutinium cum supiore recipient duos fratres, qui primitus habitum nostri ordinis suscepserunt, declaramus hanc primitatem debere intelligi de illis, qui nunquam habitum temere dimiserunt, et illos dicimus debere recipere scrutinium, non qui prius tempore habitum suscepserunt, sed qui diucius portaverunt.

Item. Declaramus, quod ordinaciones et precepta ac sentencie excommunicacionum, que ponuntur in actis capitulorum generalium et provincialium, non obligant fratres, nisi solum usque ad receptionem actorum immediate sequentis capituli generalis vel provincialis.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores: Brivensem, Figiacensem, Rivensem, sancti Emiliani, Bellividere, Podiensem, Marciaci, Condomensem.

Item. De provincia Provincie: Biterensem et ipsum conventui Montispessulani assignamus.

Item. De eadem provincia Provincie Aurasicensem et ipsum Podiensi conventui assignamus. Et volumus et ordinamus, quod predicti priores absoluti ad eadem officia in eisdem conventibus isto anno nullatenus reassumantur.

Iste sunt penitencie.

¹ Cf. supra pag. 271 l. 33 sqq.

Fratrem Simonem de Herbech de Villa, priorem in conventu Rothomagensi provincie Francie, quia propter indiscretionem ipsius in regimine multe turbaciones et disceptaciones in spiritualibus et temporalibus in dicto conventu contigerunt et graviores futuras verisimiliter formidamus, absolvimus ab officio prioratus et conventui Montis Relaxi eiusdem provincie assignamus.

Item. Cum in nostris constitucionibus sit expressum, quod quicumque litteras magistri ordinis vel priorum provincialium seu eorum sigilla falsificaverit vel falsificatis scienter usus fuerit aut aliquod predictorum fieri fecerit, carcerali custodie mancipetur, et ad nostram pervenerit noticiam testimonio fide digno, quod frater Guillelmus Calatot de provincia Francie litteris falsificatis prioris provincialis Francie scienter est usus, nos dicto fratri Guillelmo misericorditer a carcere parcimus, sed ipsum predicacione generali, voce et omnibus graciis ordinis privamus et eum conventui Constanciensi provincie Francie assignamus.

Imponimus vicario et diffinitoribus capituli provincialis provincie Provincie huius anni, quod ipsi diligenter inquirant de priore Aquensi et aliis prioribus et suprioribus illius provincie, qui fratres declinantes ad eos miserunt ad iacendum in tabernis, et eos in penam absolvant et penis aliis puniant taliter, quod sit ceteris in exemplum.

Denunciamus fratribus universis, quod nos fratrem Petrum Nicholai de provincia Dacie, qui fuit condemnatus in capitulo provinciali dicte provincie Dacie, voce et omnibus graciis ordinis privatus et incarceratedus pro eo, quod fratrem Ionam, tunc priorem suum, infamaverat mendaciter et maliciose, reperimus innocentem, et non mendaciter, sed vere dictum priorem de illo crimine detulisse, sicut per confessionem et recognitionem dicti fratris Ione factam magistro ordinis coram pluribus et dicti fratris Ione propria manu scriptam patuit et patet evidenter.

Committimus singulis prioribus provincialibus, quod omnes et singulos fratres incarceratedos seu aliter punitos in suis provinciis, de quibus cum discretorum fratum consilio videbitur, possint a carcere et penis aliis liberare et ad gracias ordinis restituere; et omnes et singulos, quos dicti provinciales liberaverint ac restituerint, liberamus ac restituimus, et tenore presencium liberatos ac restitutos denunciamus auctoritate nostri capituli generalis. Hanc tamen commissionem extendi nolumus ad illos, qui in actis capituli presentis sunt puniti.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Simonem Lingonensem de provincia Francie².

Item. Quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno sequenti fratrem Franciscum de Beluno de provincia Lombardie inferioris³. Item. Assignamus lectorem in conventu Avignonensi fratrem Garinum de Giaco de provincia Francie, magistrum in theologia⁴.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in conventu Avignonensi fratrem Guillelmum Grossi de provincia Provincie⁵.

Item. Assignamus lectorem in conventu Bononiensi magistrum Nicholaum de Lee de provincia Anglie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Petrum de Salgis, et ipsum propter hoc absolvimus ab officio prioratus Tholosani⁶.

Item. Assignamus lectorem sentenciarum in conventu Tholosano fratrem Bernardum de Parentinis⁷.

Item. Assignamus lectorem sentenciarum in conventu Florentino magistrum Petrum de Strozzis de provincia Romana⁸.

Item. Assignamus lectorem in conventu Mag[de]burgensi fratrem Conradum de Alverstat iuniorem.

Item. Assignamus lectorem sentenciarum in conventu Montispessulani fratrem Bernardum de Ysblicis.

Committimus prioribus provincialibus aliarum provinciarum, ut ipsi aliis studiis suarum provinciarum provideant de lectoribus et cursoribus ac lectoribus sentenciarum et magistris studencium, prout utilitati ordinis viderint expedire.

Committimus reverendo patri magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis ac cursoribus biblie ordinet et disponat, ut generali utilitati ordinis viderit expedire.

Ponimus vicarium generalem in Romana provincia fratrem Andream de Gallo de conventu Florentino, et omnem alium vicarium positum seu nominatum in dicta provincia revocamus, dictoque fratri Andree imponimus et mandamus, ut omnes, quos in dicta provincia rebelles invenerit aut ipsius provincie turbatores, refrenet et puniat, prout pensatis eorum excessibus iusticia suadefit. Volumus autem, quod fratres Raynerius de Scolaribus regat dictam provinciam et sit ibidem vicarius generalis, quoque dictus frater Andreas presens in eadem existat. Item. Ponimus vicarium generalem in provincia Provincie fratrem Iohannem Bricii de conventu Montispessulani.

² De fr. Simone cf. supra pag. 278 l. 9.

³ De fr. Francisco de Beluno cf. supra pag. 268 l. 12.

⁴ De fr. Garino cf. supra pag. 242 l. 13.

⁵ De fr. Guilelmo Grossi cf. DENIFLE l.c. pag. 526.

⁶ De fr. Petro de Salgis cf. DENIFLE l.c.

⁷ De fr. Bernardo de Parentinis cf. ibid. et SSOP. I, 674.

⁸ De fr. Petro de Strozzis cf. supra pag. 267 l. 15; 258 l. 34.

Revocamus omnes vicarios per quoscumque positos in insula Sicilie et volumus et mandamus priori provinciali regni Sicilie, ut ipse dicte insule provideat de vicario vel vicariis, prout secundum deum et bonum ordinis iudicaverit expedire.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie fratribus universis, ne frater aliquis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere vel de suo conventu iter assumere cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine magistri ordinis licencia speciali; de qua per eiusdem magistri ordinis litteras suo priori provinciali vel suo generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus et per dictum procuratorem ordinis de curia expellatur.

Concedimus tamen singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negotiis communibus suarum provinciarum possint illuc ire et mittere duos fratres.

Committimus tamen procuratori ordinis, ut possit licenciare fratres de provincia Provincie ex causa rationabili et urgente, donec per magistrum ordinis aliter fuerit ordinatum.

Item. Committimus et mandamus procuratori ordinis in Romana curia, ut si quos fratres in dicta curia repererit insolentes seu vagantes indebitate contra ordinis honestatem vel ibidem sine iusto et rationabili titulo existentes, eos debite puniat et ad ordinis disciplinam reducat. Cui eciam committimus, ut tales fratres possit quibuscumque provinciis, de quibus ei videbitur, assignare, et ad eundum cogere auctoritate nostri capituli generalis. Quoscumque enim assignaverit cuicunque provincie vel conventui ex nunc pro tunc auctoritate nostri presentis capituli assignamus.

Item. Mandamus et precipimus in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant ante sequens capitulum generale fratri Rostagno de Ansetuna procuratori ordinis in curia Romana pro qualibet provincia · iii · florenos aureos pro anno presenti et pro preteritis annis illi, qui non satisfecerunt, infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Parisiensi in provincia Francie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · vi · feriam vigiliam pentecostes precedentem. Quicumque autem ad sequens capitulum generale sine magistri ordinis licencia venerit vel de suo conventu cum intencione veniendi exierit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam non possit restituiri nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Explicit acta capituli generalis.